

12

5

DISSERTATIO IVRIDICA.

D E

IVRIBVS EX CESSIONE

TAM VALIDA,

QVAM INVALIDA,

1780, 1.

Q V A M

ANNVENTE NVMINE DIVINO OPTIMO MAXIMO,

xx

CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS IVRECONSULTORVM,
IN ALMA ROSTOCHIENSI,

P R A E S I D E

MAGNIFICO NVNC ACADEMIAE RECTORE
D O M I N O

WALTER VINCENT WIESE,

I V R. D O C T. E T P R O F. P V B L. O R D I N.
N E C N O N F A C U L T. I V R I D. S E N.

P R A E C E P T O R E S V O S V M M E C O L E N D O ,

A N N O M D C C L X X X . D I E X X . I V N I I ,

P V B L I C O I N A V D I T O R I O ,
HORA NONA ANTEMERIDIANA

D E F E N D E T

A V T O R E T R E S P O N D E N S

I O A C H I M H E I N R I C H C H R I S T I A N L V E D E R S ,

R O S T O C H I E N S I S .

R O S T O C H I I ,
T Y P I S A D L E R I A N I S .



DISSERTATIO IVIVSIDICA

a

IARIBAE EX CESSIONIE

TM AV IU DICI

GAV MAN IU DICI

SAL MAN IU DICI

UTA MAN IU DICI

AMINANTE NAMINE PUMO GOMO MAXIMO

COZENTA MAN IU DICI

ANA MAN IU DICI

TRA MAN IU DICI

MAN IU DICI TRA MAN IU DICI

LAECEPTERE SAO GAV MAN IU DICI

FUNKY MAN IU DICI

ANA MAN IU DICI

AUTOR MAN IU DICI

IOCH MAN IU DICI TRA MAN IU DICI

ALA CON SAO

TRA MAN IU DICI

VIRIS

ILLVSTRIBVS ATQVE CONSVLTISSIMIS,
DOMINO

ERNESTO BALTHASARO FREHSE,
SERENISSIMI DVCIS MEGAPOLITANI
CONSILIARIO AVLICO,
HVIVSQVE
FILII PRAESTANTISSIMIS,
DOMINO

IOACHIMO FRIEDERICO FREHSE,
SERENISSIMI DVCIS MEGAPOLITANI
A CONSILIIS IVSTITIAE,

NEC NON

DOMINO

CAROLO HERMANNO FREHSE,
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI ET PRACTICO
FAMIGERATISSIMO,
TVTORI SVO VALDE DEVENERANDO,
MAECENATIBVS ATQVE FAVTORIBVS SVIS
OMNI, QVA PAR EST, OBSERVANTIA IN PERPETVVM
COLENDIS,

VINCI

ITATIBVS ATOAE CONSULIS
PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

DOKIANO

HERNOSTORAI AVSVORI RESE
PIETATIS, AC REVERENTIAE DEBITAE
MEMORIAM, SIMVLQVE IN GRATISSIMI,
OB PLVRIMA IN SE COLLATA BENEFICIA,
DOCUMENTVM ANIMI,

SACRAS ESSE CVPIT,

ILLORVM NOMINVM

CAROIO HEINRICO FERH
TIAS ALVAGA DOCTOR ET PRAESES
TAMIGERITASIMO
TUTUS SIC LATE DEFLAT
anitor obsequiosissimus,
JOACHIM HEINRICH CHRISTIAN
LVEDERS.



D E

I V R I B V S E X C E S S I O N E
TAM VALIDA,
QVAM IN VALIDA.

§. I.

Introitus.

CSi qua vñquam in iure materia est contentioſa , anſam-
que ad certamina atque diſenſus DD praeſuit; eſt
illa de cefſione. Id quod, et quia tum magna gra-
uitate, tum quotidiano in praxi viſe commendat, me
commouit, eam argumentum huius meae diſertationis ex
compluribus eligere. Adſunt quidem iamiam plura de hac theſi
ſcripta , vii B R V N N E M A N N I Traclatus de cefſione actionum; de ea-
dem materia quoque traclaffe L E N Z I V M et a S A N D E inveni, quo-
rum amborum vero ſcripta, cum ad manus non fuere, in huius etiam

A 3 differ-

dissertationis ysum vertere non potui. Notatu dignus praeterea hic est STRYKII Tractatus de iuribus et actionibus non cessibilibus, quocum conueniunt aliorum DD scripta. Sed aliter hi viri illustres eam, ac mihi mens est, perfragarunt materiam. Pius vero, quam ipsi sumi huius dissertationis caput adgredior, haud ab re puto, nonnulla ante generalia de cessione praemittere, partim ut solitum ysum modumque dissertationum lequar, partim vero, ut ex hisce praecliminaribus eo evidentior adhuc reddatur tractatio; quibus peractis, sum ad iura transiturus, quae cedi possunt, et quae cessioni non sunt obnoxiae; porro quae, facta cessione, simul ad cessionarium transferuntur; et denique ad invalidas me conferam cessiones.

§. 2.

De variis significationibus verbi: cedere; et quo sensu hic sumitur.

Non inuste verbum: cedere, ad illa vocabula referatur, quae in iure tam multis, tamque variis gaudent significationibus. Sed meo haud conueniret proposito, omnes singulosque huiusmodi significatus explicare, ac valde quoque superfluum esset, cum eorum diu DD ample ostenderunt ^{a)}. Ad praecipuos eorum referri meretur idiomam illud, quo saepissime ICTi vtuntur; dies cedit; per quod tempus exprimitur, quo obligatio initium trahit, siue nanciscitur valorem ^{b)}. Porro quoque indicat dimissionem bonorum, quando is, qui creditoribus suis satisfacere nequit, his bona sua tradit, ut exinde, quantum potest, credita eorum, extinguantur; et hic sensus adest in Titulo ff. qui bonis cedere possunt. Frequentius vero cesso, translationem iuris sive actionis cuiusdam denotat ^{c)}, qui significatus etiam hinc tractatio proxinius est. Est itaque hic cesso: plenaria translatio iuris in alterum ^{d)}. Non otiosum in hacce definitione est praedicatum: plenariae translationis; non enim cedens ius sive debitum alteri pro parte cedere potest, quia debitoris conditio ideo fieret deterior, quo causa vero cesso sit invalida. (conf. infra §. 6.)

^{a)} Varias significations vocabuli cessionis, reperimus apud STRYCK de iurib. et act. non cessib. C. i. §. 1. BRUNNEMAN de Cess. act. C. i. n. 1. ^{b)} Huc

b) Huc spectat Titulus ff. *Quando dies legator cedit.*

c) L. ii. C. de Donat. L. i. §. 4. ff. de acqu. posse. L. 76. ff. de Solut.

d) Definunt alii etiam per abdicationem iuris et plenariam translationem in alterum. Conf. STRYCK de Iurib. et act. non cessib. C. i. §. 7. Act superfluum mihi videtur praedicatum: *abdicatio*, nam ex idea plenariae translationis iam prono, alveo fluit, ut intuitu trans-

ff. 7
§. 3.

Differentiae inter venditionem iuris, cessionem, delegationem et assignationem.

Licet tam venditio et cessio iuris, quam delegatio et assignatio in eo inter se similia sint, ut omnes ad modos pertineant, quibus quis ius suum in alterum possit transferre; in quibusdam tamen diuersa sunt, et nonnullis ex rationibus inter se differunt. Idēa cessionis accuratius perpensa, minus erit perspectu difficile, eam esse vocem generaliorem, omnesque alias in se continere species alienationum, sive onerosae sint, sive lucrative. Hoc quoque nostra suppeditat in §. antecedente exhibita cessionis definitio; quod nempe sit *plenaria translationis iuris in alterum*. Nunc vero talis translatio iurium diuersis et compluribus potest modis fieri, tum venditionibus et donationibus, tum quibuslibet aliis conventionibus. Praecipue vero ratione esse ceterum discrepant; hoc maxime pertinet: 1) quod cessio possit fieri inuitio, immo inscio debitore, (de quo in §. 5. plura); tantum vero abest, ut hocce etiam in delegationibus locum inueniat, ut tunc potius consensus debitoris delegati omnino requiratur; expresse enim ALEXANDER in L. i. C. de nouat. et delegat. fanciuit: *Delegatio debiti, nisi consentiente et stipulanti promittente debitore, iure perfici non potest; nominis autem venditio et ignorante vel inuitio eo, aduersus quem actiones mandantur, contrahit solet.* 2) Debitor cessus omnes suas exceptiones, quas contra creditorem suum cedentem habuit, contra cessionarium etiam salvas retinet; 3) aliter vero se habet in delegatione; qui enim se delegari passus est, eo ipso exceptiones illas remittere censetur. b) 3) Si quis actionem sive nomine delegauit, et quidem et creditore et novo debitore consentientibus,

tibus. Licet deinde nouus debitor soluendo non est, creditor tamen debitorem priorem delegantem, et ab eo semel liberatum conuenire nequit. ^{c)} Idem quoque obtinet in actionibus venditis atque cessis, *L. 4. ff. de Hered. vel act. vend.* satis enim ex hac lege constat, venditorem nominis non obligari, ut nomen venditum siue cessum bonum et idoneum praefest, si modo verum sit; quod etiam obtinet, licet expresse euictionem promiserit; quippe quae promissio de veritate, non de bonitate nominis intelligenda est, nisi in specie ad bonitatem est extensa, teste *LEYSERO in med. ad Pand. Spec. 199. M. 3.* Aliter vero res sece habet, si vendor in dolo versatur. ^{d)} Ab his vero speciebus assignatio recedit; remanet enim creditori, cui est assignatum, regreslus contra assignantem, quoniam, ut prael. *Dn. LEYSER ait,* ^{e)} antiquo suo iuri renuntiare creditor, qui nomen aliud sibi assignari patitur, non videtur *f)*, et q. s. r.

^{a)} MEVII Decis. P. 4. D. 325. n. 8.

^{b)} BOEHMER in Comp. Dig. Lib. 16. Tit. 2. §. 10.

^{c)} L. 8. C. de Novar. §. 3. I. Quibus mod. toll. obligat. verbis: nam interventu novae personae nova nascitur obligatio et prima tollitur, translatia in posteriorem.

^{d)} BOEHMER. c. l. Tit. de Hered. vel act. vendita §. 8.

^{e)} c. l Spec. 199. m. 2.

^{f)} STRYCK Vf. mod. L. 18. Tit. 4.

§. 4.

*Cui competat facultas ius suum cedendi; et num cessio
semper sit actus voluntarius?*

Ex definitione cessionis facile erit perspectu, pronoque alveo fluuit, eam alienationis quandam esse speciem. Ex quo illico nunc potest desumi, satisque luculenter appetat responsio ad quaestionem, cui nempe competit facultas iura sua cedendi. Sua sponte enim iam sequitur, ut quicunque pollet facultate alienandi, facultate quoque polleat cedendi ^{a)} et vice versa, ut quicunque non pollet facultate alienandi, facultate quoque cedendi non polleat. Qua igitur ratione cum effectu iuris infantes, infantiaeque proximi, quibus nempe facultas alienandi prohibetur

libetur b) sua cedere, iura omnino nequeunt. Sub hac proibitione quoque minores, c) prodigos, furiosos d) cet, contineri, non est qui dubitat. Pertinent hoc quoque feminae in illis terris, vbi minoribus aequiparantur, nilque absque curatorum consensu facere illis licet, vti in Saxonia e) et praesertim Electorali, teste s.a.m. STRYCKIO in Tractatu de Iurib. et act. non cessibil. C. 1. §. 3. Ex idea cessionis porro iterum sequitur, eam in regula esse actum voluntarium. Eam enim ad species pertinere alienationis, iam supra monuimus; potest vero ordinarie nemo ad ius suum alienandum cogi, ergo etiam non ad cedendum. Patitur tamen haecce regula quasdam exceptiones, vbi etiam ad cedendum quis obligatus est. f) Huc spectat beneficium cedendarum actionum, quod competit inter alios fideiussorum alteri, qui in solidum soluere cogit, eo tendens, vt solutio-
nem creditor ab eo non possit exigere prius, quam ipsi cesserit actiones suas contra caeteros confideiussores. g)

a) BRVNNEMAN de Cess. act. C. 2. n. 1.

b) SAM. STRYCK de Iurib. et act. non cessibil. C. 1. §. 2. §. 10. I. de inutilib. stipul.

c) Tit. ff. et C. de rebus minor, non alien,

d) L. 40. ff. de R. I.

e) Ius Sax. Provinc. L. 1. Art. 43. seqq. Const. Elect. 15. §. gleicher
Gehalt etc.

f) L. 37. D. ad Scrum Trebell. L. 40. §. 2. de petit, hered. L. 2:
§. fin, famil, hercisc. L. 35. §. 4. de contr. E. V.

g) BOEHMER c. 1. Tit. de fideiuss. et mandat. §. 21.

§. 5.

*Cessio potest fieri, inscio et inuitio debitore, non vero
debitor, inuitio creditore, alium debitorem sub-
stituere potest.*

Per cessionem succedit cessionarius in locum creditoris cedentis,
ita, vt omne ius, quod ante factam cessionem ad hunc pertinuit, ad
illum transferatur. Cum itaque debitori cesso cessio legitime facta

B

nullum



nullum adfert damnum, et ipsi vnum idemque est, an illi aut huic sit obligatus; sequitur, cessionem quoque, tam inscio, quam inuito debitore, fieri posse. a) Obstare quidem huic sententiae videntur, *L. 11. C. de contrah. emt. et L. 55. ff. de O. et A.* illam exhibentes iuris regulam: *neminem inuitum alteri posse obligari*, id quod tamen hic fieret, si cessio, inuito debitore, facta valida foret. Sed limitanda est adducta regula, tunc modo applicanda, si de obligatione agitur principali, aut nullum adhuc factum, ex quo obligatio quaedam iam orta est, praecesserit. Locum igitur haberet, si quis quem, cum quo ipse in nullo esset obligationis nexus, alteri inuitum vellet obligare. Alter vero res sepe habet, si principalis iam adest obligatio, id quod hic locum inuenit; debitor enim cessus etiam ante factam cessionem creditori cedenti ad debiti solutionem fuit obligatus; repraesentat vero cessionarius ex iuris interpretatione primi creditoris personam, teste H E L F E L D T in Comp. Dig. Tit. de Hered. vel act. vend. Salva itaque thesis manet, cessionem etiam, invito debitore, factam esse validam. Semper tamen consilii est, et commodum cessionarii suadet, ut debitor cessus de facta cessione certior reddatur, id quod ex §. 7. adhuc magis apparebit. Non vero ea, quae de cessione, invito, debitore, dicta sunt, vice versa etiam de creditore possunt asseri, vt nempe debitor suo loco quoque alium debitorem, invito creditore, possit substituere. Quis enim est, quem fugit permagna et eminens differentia, inter iura actina, ex quibus ab aliis obligationes possumus, atque passiva, intuitu quorum nos aliis sumus obstricti. De actius omnino dici potest, ea posse ordinarie semper etiam, inuito debitore, legitime cedi, quia nempe dispositio eorum a nostra dependet voluntate, minime vero de his; sana enim iam ratio dictitat, debitores absque sufficienti satisfactione, aut sine consensu creditoris semet ipsos ab obligatione nexus nequaquam posse liberare. Maximo quoque creditori foret damno, si debitorem substitutum accipere cogi posset; ad eum enim omne spectaret ratione debiti periculum, ac ipse omne ferre damnum teneretur, si postea nouus debitor non esset soluendo b). Dependet itaque a mero creditoris arbitrio, num alium debitorem loco prioris recipere vellet, nec ne; et hoc casu, licet nouus debitor aequo idoneus esset, illum accipere, inuitus non potest cogi.

a) *L. 3. C. de Hered. vel. act. vend. L. 6. ff. de navar. L. 1. C. ibidem.*
b) *L. 3. f. C. de Novar.*

§. 6.

Creditor, in iusto debitore, ius pro diuisio cedere non potest.

Iam supra demonstravi, creditorem ius suum pro lubitu, in iusto etiam debitore, posse legitime cedere. Legitima vero cessionis requisitum quoque est, ut non cum damno debitoris coniuncta sit, nec huius conditio exinde sit deterior. a) Nunc vero satis evidens est deterioratio, quam debitor sentiret, si creditor debitum pro diuisio et in plures personas vellet cedere; pluribus enim tunc connecteretur creditoribus, quibus omnibus singulis esset obligatus, indeque posset pluribus vexari actionibus. b) Praeterea legibus est expresse sanctum, quemadmodum quis cum uno saltim contraxerit, ita quoque absque illius consensu creditum non posse diueli ^{c)}; et vii creditor particularium solutionem acceptare non cogitur, sic etiam debitor recte contradicere potest, per cessionem debiti pro diuisio in plures personas, ipso iusto factam, suam deterioriem fieri conditionem. Non id solum de illo potest casu obtineri, si cesso ita facta est, vt cedens totum suum ius ad diuersos cessionarios transferat, et ipsimet nihil de eo remaneat; sed fatis apte etiam, vt ego quidem arbitror, ad illos casus est extendendum, si creditor vellet partem iuris alii cedere, partem vero istius servare ^{d)}. Nam si accuratis rem consideramus, minus perspectu erit difficile, omnes, quae de priori casu enarratae sunt, rationes, hic quoque posse applicari. Sicuti enim debitor cessus, si creditor totum ius suum in plures personas transfert, pluribus obligatur creditoribus, ita quoque hic fieret, nempe antiquo suo creditori et novo cessionario.

a) BOEHMER c. 1. Tit. de Hered. vel. act. vend. §. 7.

b) STYCK de Iurib. et act. non cessib. C. VI. §. 4.

c) Arg. L. 27. §. fin. ff. de pecul.

d) Bene ergo notandum est, quod, si BRUNNEMANN de Cess. act. C. V. n. 37. quaestionem proponit, quinam praefterendus sit, utrum cedens, an cessionarius, si concurrant, parte nempe debiti cessa, parte a cedente retenta; id de eo solummodo casu sit intelligendum, si talis cesso, consentiente debitore cesso, facta est.

§. 7.

An debitor cessionis ignarus debitum cedenti cum effectu iuris soluere queat?

Contra omnem certaret aequitatem, omnemque rationem, si quis debitori factae cessionis ignaro imputare vellet, quod debitum cedenti soluisset. Valide itaque debitor, omissa denunciatione, creditori cedenti soluit, ita ut hac solutione in totum liberetur ^{a)}. Porro valide quoque cum creditore cedente paciscitur atque transfigit, ut per tale pactum sive transactionem cessionarium repellat. Expressa hoc in *lege fin. ff. de transact. fancitum reperimus; ibi: venditor hereditatis cum debitore hereditario, qui ignorabat, venditam esse hereditatem transegit, si emtor hereditatis hoc debitum ab eo exigere velit, exceptio transacti negotii debitori propter ignorantiam suam est accommodanda.* Sunt qui hanc legem modo ad transactionem pertinere et ad alia negotia non posse extendi, contendunt; male vero, teste *LAVBERBACHIO in Compend. Dig. Tit. de Hered. vel act. vendita*, quia nempe in aliis negotiis eadem est aequitatis ratio, nam uti per transactionem, ita etiam per solutionem debitor ab obligatione liberatur, et inde cessionario contra debitorem nulla remanet actio, sed solummodo ex vendito agit contra venditorem, ut nomen praestet, aut id quod interest ^{b)}. Alter vero res sece habet, si debitor cessus de facta cessione certior fuit, tunc enim cum effectu iuris creditori cedenti soluere debitum omnino nequit ^{c)}, et si nihilominus factum est, iterum soluere debet ^{d)}. Rationem huius juris, quod nempe debitor cessus cessionis ignarus, cum effectu iuris et liberacionis creditori cedenti soluere posset, alii ideo deduxerunt, quod aliquod adhuc dominium penes cedentem etiam post factam cessionem remaneat ^{e)}. Re vero accuratius considerata, haud difficiliter inuenimus, sicutum illud dominium cedentis rationem esse non posse; illud enim non tollitur per id, quod debitor cessus de cessione facta certior reddatur. Sed conuenientior mihi videtur sententia *LVDOVICI*, qui in *Doctrina ff. L. 18. T. 4. §. 9.* ita ratiocinatur: *Ergo non ex hac causa, quasi venditor adhuc sit dominus, hic enim, quod a debitore accepit, emtor restituere tenetur; sed haec est vera ratio, quoniam debitor cessus in ignorantia facti alieni constitutus fuit,*

fuit, et sic ipsi signo scitur. Magis genuina ratio itaque videtur bona fides debitoris in ignorantia verlati, accidente culpa cessionarii, cui est imputandum, quod illi cessio non sit denuntiata. Subleuat præterea hancce opinionem cit. L. s. ff. de Transact. verbis: propter ignorantiam suam est accommodanda. Probatur itaque, quod supra monui, consilli esse tutissimumque, ut debitorem certiorem faciat cessionarius de facta sibi cessione.

- a) LATTERBACH Comp. Dig. Tit. de Hered. vel act. vend. L. 3. C. de novat. quam de actione cessa loqui probavit BACHOVIVS de act. D. 4. lib. 3.
- b) de COCEII Ius contrav. Lib. XVIII. T. 4. qu. 10. L. 23. §. 1. ff. de hered. vel act. vend.
- c) BRUNNEMANN de cess. act. C. 5. n. 22.
- d) STRYCK de caut. contract. S. 4. C. 2. §. 8.
- e) BRUNNEMANN l. cit. n. 24. qui præterea allegauit LENZ. C. 28. m. 1.

Quenam iura cedi queant nec ne?

Quibus præmissis, me ad iura conuerto, quæ vel cedi omnino nequeant, vel quæ cessioni sunt obnoxia. Ad determinatandam vero hanc quæstionem diuersas iuris regulæ a iureconsultis ponuntur. Huc pertinet primo: Quæcunque sunt personalia, non sunt cessibilia; porro: quidquid non potest ad heredes transmitti, non est cessibile; et vice versa: quidquid est cessibile, illud quoque est cessibile. Sed acriter contra adductas regulas certarunt DD. easque autoritate prouare quæsuerunt. Fundant suas opiniones in eo, quod multi in iure casus inueniantur, qui contrariantur hisce adductis regulis b). Sic atesse dicunt exemplum in usufructu; euilibet enim notum est usumfructum ad dies vitae competentem esse ius personalis et ad heredes non transmittendum, secundum regulas sicutur praedictas, quidquid est personalis, non potest cedi, et quidquid ad heredes non potest transmitti, est quoque non cessibile, non deberet cessionem admittere; nihilominus tamen usufructario in legibus cessio ususfructus expresse est permissa c). Ultimæ regulæ: quidquid est cessibile, est quoque

quoque cessibile, obstat inter alia exemplum de rebus litigiosis, quae, eti ad heredes transiunt, cedi tamen prohibentur ^{a)}. Quo euenit, ut nonnulli DD. et inter alios L A V T E R B A C H in Comp. Dig. Tit. de hered. vel act. vend. hisce regulis omnem denegare valorem, voluntuerint. B R Y N N E M A N N vero in Tr. de cess. act. C. IV. n. 20. seq. eas defendit, atque praelaudato L A V T E R B A C H I O contradixit; quantum autem ad res attinet litigiosas, eas tantummodo exceptio- nem sistere a regula, contendit.

Quando de iuribus personalibus hic sermo est, praeципue quid sub illis intelligatur, et quo hic sumantur sensu, v: accuratius deter- minemus, necesse duco. Omnia, scimus, iura, quae ex contractu solummodo nanciscinur, et non rem, sed personam tantum afficiunt, dici iura ad rem, sive quod idem est, personalia; de illis hic non tractari, certo constat, cum hac ratione a cessione omnino non exi- muntur, sed de eis, quae certae personae cohaerent, vel, vti B R V - N E M A N N d. tr. C. 4. n. 22. definit, *quorum causa proxima est qualitas personae*.

Ad conseruandam nunca, supra adductam regulam: *quidquid est personale, non est cessibile*, haud inconveniens mihi videtur di- ffinicio inter iura ita personalia, vt morte finiantur, hinc ad heredes non transiunt, et iura, quae personae ita cohaerent, vt ab illa aquelli omnino nequeant, quae personalissima in nominari solent. Quantum ad haec stat semperque stabit regula illa ^{c)}. Si vero ius meum est ita personale, vt morte extinguitur, minime sequitur, ad alios cedi id nunquam posse. Recepit itaque de C O C C E I I f) profert: *si quid mihi, ad dies vitae meae promiseris, morte mea finitur, sed me viuo alii cedi potest*. Multis hoc confirmatur exemplis. Huc spectat primo, vñstructus ad dies vitae; illius cessionem licet esse, probant L. iiii supra allegatae g); sed facile potest intelligi, hancce ces- sione non diutius valere; quam ad vitam cedentis, cum hic ad ces- sionarium plus juris non potest transferre, quam ipse habuit; potro adições poenales morte tolluntur, et ideo ad heredes non transiunt ^{b)}, nisi lis iam sit contestata ⁱ⁾; interim tamen, dum durant, a viuo alii cedi possunt secundum L. 14. pr. ff. de furto et L. 31. pr. ff. de acto emt. et vend. id quod confirmat de C O C C E I I loc. cit. et q. L. iiii. ^{a)} B R V N N E M A N N

- a) BRYNNEMANN d. tr. C. 4. n. 21. et 22.
- b) LAVTERBACH in Comp. Dig. Tit. de Hered. vel. act. vend.
- c) §. I. I. de usu et habit. cuius verba notatu digna haec sunt: *usua-*
rius — — — nec ulli alii ius quod habet, aut vendere aut grazis
concedere potest; cum is, qui usumfructum habet, possit haec omnia
facere. L. 12. §. 2. ff. de Vſuſtri. vbi: Vſuſtructarius vel ipſe frui ea
re, vel alii frumentum concedere, vel locare, vel vendere potest. et
L. 67. ff. de Eod. ita sonans: Cui Vſuſtructus legatus eſt, eriam invito
herede eum extraneo vendere potest. Quibus cum convenient L. 13. C.
de Vſuſtri. et habit. ita sonans: quid enim distat, ſive ipſi legatarius ma-
neat, ſive alii cedat.
- d) L. 2. et L. fin. C. de Litigio.
- e) Hic notes velim singulare illud, quod fisci privilegia etiam persona-
lia in cessionationis transferri poſſunt. L. f. C. de priv. fisci; conf.
LAVTERBACH in Comp. Dig. Tit. de Hered. vel act. vend.
- f) de Cocceii Exercitar. Tom. 2. Disp. 65.
- g) Distinguunt alii inter ius Vſuſtructus et Vſumfructum ipsum, ſive per-
ceptionem emolumentorum et fructuum; illud cedi non poſſe volunt,
bene tamen haec. Sed re accuratius conſiderata, hic nil, niſi ſubti-
litates invenimus, cum ipſa legitima perceptio fructuum ſemper ius
percipiendi ponit.
- h) BOEHMER c. I. Tit. de Obligat. et action. §. 23. in f.
- i) L. 26. ff. de Oblig. et act. ibi: omnes poenaes actiones post item in-
choatam et ad heredes tranſuunt. Add. L. 58. ff. de Eod

§. 9.

Applicatio ad specialia.

Vt, quae dicta ſunt, eo euidentius appearant, licebit ea ad Spe-
cialia applicare. Minime vero mens mihi eſt, propositoque minus
quadraret, omnes illas iurium personalium recenſere species, ſed
nonnulla ſolummodo de illis allegaturus ſum. Beneficium illud aer-
atis minoribus conſeſſum personale eſſe, non vllum adeſt dubium, cum
minoribus ratione singularis ſuae conditionis indultum eſt; ſed tamen
pro mere tali, mea quidem opinione, non eſt accipiendo; indi-
ſtincte id enim non conceditur ſecundum L. 44. ff. de minorib. et
L. 6. ff. de Reſt. I. I. ſed ſolummodo contra illa negotia, ex quibus

laetionem sentiunt; respiciendum itaque semper est ad id, contra quod restitutio quaeritur. Non inconuenienter exinde potest colligi beneficium restitutionis minorum partim esse personale ^{a)}, quia nempe personae minoris inhaeret, partim vero reale, quia simul semper debet negotium, contra quod minor est restituendus, considerari. Hoc vltterius etiam inde est prae sumendum, quod illud beneficium quoque ad heredes transeat, vti clarius appetet ex L. 18. S. fin. ff. de minor, id quod vero, si mere personale esset, locum inuenire non posset. An vero illud etiam cessioni sit obnoxium, id magnum inter DD. protulit diffensum. Quantum ad beneficium illud in genere et absque respectu ad singularem quandam actionem, cui annexum est, attinet, mea quidem sententia, indubitatum est, vt cedi non possit. Probe autem notes velim, me sub hac voce nihil aliud intelligere, quam si v. c. minor beneficium aetatis in totum vellet abdicare, et alteri, eo alias non gaudenti, cedere; ratio enim huius beneficii in minore simul est qualitas personae ipsius, cessaret vero illa, si alteri aetate maiori cederetur. Alia vero quaestio est: num etiam in specialibus casibus locum non habeat, e. gr. si minor actionem, quam amisit, quae tamen ipsi per restitutionem ex capite aetatis falsa est, alteri cessit, num hoc casu in cessionarium una cum actione, beneficium quoque restitutionis possit transferri; et hoc in casu sententiis de COCCII et STRYCKII ^{b)} calculum adiicio, qui nempe affirmant, si actio ipsa modo sit cessibilis, *privilegia* quoque ei annexa simul in cessionarium transferri. Accedit quoque, vti iam dictum est, vt, cum actio ista ad minoris heredes transeat, cum suo beneficio illa transferatur ^{c)}. Alii etiam restitutionem in integrum cedi posse ex conditione affirmant ^{d)}, si, vt fieret, expresso sit facitum pacto. Mea vero opinione id superfluum est, cum LL. cessionem R. I. I. absque tali conditione concedunt. Pari ratione id etiam dicendum erit de obligationibus seminarum ex intercessione, et filiorum familias ex mutua pecunia; cum enim illae penitus sunt inefficaces ex Senatus consulto Velleiano et Macedoniano; sequitur, vt etiam non aliter, ac inefficaces in alterum possint transferri, id est, cum beneficiis coniunctis; clarius hoc in L. 7. S. 1. ff. de except. cum respectu intercessione seminarum contra Senatus consultum Vellejanum factae, cum intuitu beneficij filio familias in SConsulto Mace doniano indulti, facitum reperimus.

^{a)} Quid-

- a) Quidquid BRVNNEMANN in cit. tr. C. IV. n. 71. contendit; R. I. I.
minorum solummodo esse beneficium reale, cum rei tantum, non
vero personae minoris iudicatum sit; cui vero opinioni minime pos-
sum assentiri, cum plane contra rationem certat, cur beneficium ac-
tatis introductum sic, nempe ob lubricitatem actatis et fragile mi-
norum iudicium; satis clare præterea contrarium testatur L. 6. ff. de
I. I. R. verbis, non solum aeratis beneficio.
- b) de COCC EII Exercit. Tom. 2. Disp. 65. et STRYCK de Iuribus et act.
non cessib. C. V. §. 4. Apparet hoc quoque ex L. 24. ff. pr. de minor, vbi:
Sed compellendum est (minor), sic ei (maiori) cedere auxilium in integrum
restitutionis. Vti quoque ex L. 68. ff. de I. R. 42. ff. de adm.
zut. L. 8. §. 3. de liber. legat.
- c) L. 18. §. fin. et L. 19. ff. de Minor. L. vn. C. si advers. dorem.
- d) Conf. SCHOPFER de Iure cessio.

§. IO.

De specialibus priuilegiis a principe personae cuidam concessis.

Ad iura ita personalia, vt auelli nequeant, spectant inter alia
priuilegia, quae princeps cuidam personae ex speciali concessione
indulxit; c. gr. priuilegium immunitatis a tributis vel contributioni-
bus, et q. s. r. Quae itaque priuilegia sicut ad heredes non transeunt,
nisi etiam illis simul sunt concessa; ita quoque aliis cedi non possunt,
cum mere personalia sunt, et eorum causa proxima est in qualitate
personae, quae talibus priuilegiis gaudet. In hoc enim sensu semper
sunt restrictiæ et non ultra verba concessionis interpretanda, nec
rescriptum, in quo princeps hoc priuilegium permisit, unquam
ultra mentem concedentis vlla ratione est extendum ^{o)}; prono
igitur inde alueo fluit, ea neque cedi, neque alio quoquis modo posse
ad tertium transferri, quamuis quis omnia sua bona atque iura alteri
cedat. In c. fin. X. de rescript. vbi varii recensentur modi, quibus
quis priuilegiis sibi specialiter concessis abuti possit, ad illos etiam
cessio in tertium numeratur, et non solum amissione eorum puniri
fancitum est, sed eum etiam, qui hoc modo se commodis priuilegii
indignum præbuit, ad expensas et damna ex tali abusu orta teneri.

- a) Conf. BRVNNEMANN, de cess. act. C. IV. n. 23.

C

§. II.

§. II.

Ius eligendi et optionis an sit cessibile?

Huc porro pertinet ius eligendi et optionis, secundum L. 76. pr. ff. de V. O. id quod nempe certis perlatis specialiter competit. Itaque quaestio occurrit, num illud ius eligendi et optandi cedi possit. ERVNNEMANN d. tr. c. IV. n. 41. et STRYCK de iurib. et act. non cessib. C. V. §. 2. hoc ius non esse cessibile, defendant; quorum posterior allegat OLEAM, qui in tr. de cess. act. tit. 3. qu. 8. n. 5. contrariam defendit sententiam, illa commotus ratione, quod nempe illud ius etiam ad heredes transeat. Secundum regulam igitur iam supra adductam, *quidquid ad heredes est transmissibile, est quoque cessibile*, ius eligendi et optandi quoque cessioni foret obnoxium. At iam antea monui, et exempla ibi in contrarium adducta satis probant, eam regulam non semper firmissimum esse fundamentum, notamque infallibilem; quamobrem quoque prael. STRYCK in d. tr. cum sententiam OLEAE refutare studet contrariam, cogitandum est, ait. regulam illam rationis et infallibilis notae loco non esse debere — sed tantum indicis loco haberi, et officium suum facere, si nullae aliae in contrarium militent leges vel rationes. Quantum ad transmissionem ad heredes, ea hoc casu non ex iure successionis, sed tantum ex speciali legis beneficio datur; id quod ut veritati sit convenientis, sat luculenter probat §. 23. I. de legat. Loquitur haec lex de eo casu, si nempe testator legatuum optionis, i. e. vt ex suis bonis optare possit, reliquit. Ex ea nunc perficitur, ius optionis iure antiquiori ad heredes legatarii non transisse, quando hic, antequam optasset, deceperet. Sed IUSTINIANVS postea speciali concessione heredibus, vt ad ipsos quoque illud ius transmitteretur, indulxit. Potest itaque etiam non cedi optionis privilegium, quod competit vxori superstiti post mortem mariti, vt possit aut dotem illatam, aut certam ex bonis mariti portionem petere ^{a)}, quia solummodo personae, non vero rei concessum sit illud privilegium. In iure Saxonico aliud adhuc obtinet ius optionis, quod vulgo appellatur das Kühr-Recht, sive die Kührgerichtigkeit ^{b)}, vi cuius nempe inter plures heredes, quibus testator certas haud assignauit partes, si omnes eiusdem sunt sexus, maior diuidit, minor eligit, concurrente vero cum

cum masculo femina, haec diuidit, ille eligit ^{c)}. Fundamentum huius iuris ill. *Iureconsultus HELFELDT* ^{d)} eruere studet ex iure canonico C. IX. de Paroch. Hoc ius, cum ex aetatis aut sexus ratione competit, eamque ob causam personalissimum est, neque ad heredes transmittitur, cessibile quoque non est, sicut in *Constitutio Eleæt. Sax. P. III. C. 15.* fæcit reperimus.

a) STRYCK de Iurib, et aet. non cessib, C. V. §. 2. qui praeterea allegat, LENZ. C. 20. m. 3. nr. 4.

b) Sächsisches Landrecht L. 3. Art. 29.

c) Idem loco cit.

d) In Comp. Dig. Lib. X. Tit. 2, §. 733. not. 3.

§. 12.

Num ius protimiseos siue retractus gentilitii possit cedi?

Recte ius protimiseos siue retractus gentilitii, siue quod idem est, consanguinitatis, competens nempe consanguineis, ad iura mere personalia refertur. Simulac enim rationem, ob quam illud ius est indulsum, respicimus, ex ea facile erit perspectu, id ad extraneos cedi non posse ^{a)}. Fundamentum vero istius in eo consistit, ut bona ad familiam pertinentia in ea conseruentur; si vero hoc beneficium ad extraneos cedi possit, eius ratio in totum cessaret, cum per hanc translationem bona ad familiam pertinentia, extra illam dissiperentur. Aliter vero res sepe habet in retractu conuentionali ^{b)}. Acriter quidem inter se certant DD, an hic possit cedi, cum alii affirmatiuam fouent, alii vero negatiuam sententiam; sed, vt ego arbitror, non ita difficulter erit decisio huius contentiois, si modo perpendimus, illud ius retractus conuentionalis nobis ex contractu competere; generalis vero regula adebet: omne ius ex contractu quae situm est alienabile, ergo quoque cessibile, cum ab alienatione ad cessionem recte concluditur, vt iam supra monui. Haece vero regula generalis semper slabit, donec quis intuitu retractus conuentionalis exceptionem probare potest. Pro adducta thesi praeterea adhuc loquitur L. 122. §. 3. ff. de V. O. vbi venditori, qui, obstante tali pacto, rem, intuitu cuius retractus conuentionalis in tertium est cessus, in alium alienauit, exceptionem doli mali posse opponi, ex-

C 2

ponitur,

OLIG

ponitur. Bene tamen erit dissinguendum, utrum in contractu illud ius generaliter concedatur, an expesse tantum ad quandam personam restrictum sit; in illo casu, quae paulo antea dicta sunt, applicantur, in hoc vero, ad alios non erit extendendum, neque cessio in tertium locum inuenire potest, dum ex voluntate contrahentium illi translationi in extraneum renuntiatum est.

a) Dissentient nonnulli in quaestione: utrum illud ius etiam ad agnatum remotori posse per cessionem transferri? quorum alii negantivam, alii vero affirmativam sequuntur sententiam. Sed duo casus adesse possunt; aut proximus agnatus ius retractus gentilitii ipse vult exercere, nec ne. In illo casu, remotor postponendus est ei, qui ob proximitatem agnationis maiori virutur iure; in hoc vero, proxime sequens iam suo iure ad exercitium huius beneficii admittitur, et nulla opus est cessione. Nam in eo eadem est ratio, cur competit ius retractus, nempe consanguinitas, ac in altero, et ubi eadem est ratio, idem quoque adsum effectus; si vero de eo sermo est casu, ut proximus agnatus ita cesserit remotori, ut hic nonnullos, ipsis proximioribus antecedat, cessione omnino erit invalida, cum sit in dominium tertii, nempe praeteriti, cui nempe maius ius est, quam remotori. CONF. STRYCK in tr. de Iurib. et act. non cessib. C. V. §. 8. et BRUNNEMANS in tr. de Cessione action. C. IV. n. 32.

b) Hic notes velim differentiam, quae alias adhuc subest inter retractum gentilitum et conventionalem, in eo consistentem, ut hic solummodo tam diu possit exerceri, donec res, in qua competit, adhuc integra sit, simulac vero iam alteri tradita est, omnino ceflat, sed regressus tantum ad venditorem remanet, qui, obstante licet contractu, rem alteri tradit; ille vero, nempe retractus gentilissimus, locum quoque inventire potest, ubi res iam tradita est. Quamobrem a quibusdam dividitur in ius protimicos in specie tale, et ius retractus; sub illo intellegunt ius prohibendi, ne res alteri tradatur, sub hoc vero ius, rem ab altero, cui iam tradita est, revocandi.

§. 13.

*Num Dominus feudi dominium directum, inuitio Vasallo,
et Vasallus dominium utile, inuitio Domino directo,
cedere possit?*

Duo in hoc §. occurruunt quaestiones, primum, num dominus feudi dominium suum directum, inuitio vasallo, cedere possit, et deinde, num hoc in dominio utile inuitio vasalli locum habeat? Ad pri-

priorem quaestione satis clare respondet constitutio CONRADI,
in II. F. 34. §. ex ea lege; vbi verba: *Dominus sine voluntate
vasalli feudum alienare non potest.* Ratio huius juris a DD. in eo
ponitur, quod fidelitas in feudo mutua sit, et sicut dominus a va-
sallo eam exigere possit, ita quoque vice versa hic quoque ab illo,
vti II. F. 6. in s. sanctum inuenimus, vbi: *Dominus quoque in his
omnibus vicem fidei suo reddere debet.* Quae fidelitas nempe in eo
consilis, vt dominus vasallum, non laedat, et deinde, vt ei legitime
protectionem praeflet a). Alii vero contendunt, domino aliena-
tionem feudi, licet indistincte ei non adferi possit, tamen quoque
nou semper esse denegandam; itaque distinguunt, vtrum dominum
cedatur aequali et maiori, an minori. Posteriori in casu semper pro-
hibent cessionem, ex eo fundamento, quod nempe exinde vasalli
cessu conditio fieret deterior, quia cessionarius minor cum non ita
bene, quam cedens maior, protegere valeret; priori vero casu, si
dominium in aqualeim sive maiorem cederetur, hanc cessionem om-
nino iuste atque valide factam affirmant b). Distinctionem illam
quaerunt in adducta constitutione CONRADI; ast ea lege accuratus
considerata, inuenimus, eam ipsa cum lege minus esse conuenientem,
dum legislator hic solummodo, id Mediolani obtinere, moneret.
Quantum ad responsione ulterioris quaestions, annon Vasallus,
inuito domino, feudum extraneo cedere possit, res satis erit expedita;
expresse enim ipsi alienatio, inuito domino, interdicitur, II. F. 32.
Necesse itaque est, vt semper consensus domini accedat, qui nec in
feudo antiquo sufficit, in quo nempe praeterea consensus agitatorum,
quorum nempe, feudum extraneo non cedi, interest, requiritur c).
Si vero hoc non obstante, vasallus consensum neglegit, vt contemnit
domini consideratur, et in poenam huius feloniae, iure suo cadit d).

a) Conf. G. L. BOEHMERI principia Iur. feud. §. 249.

b) Contradicere nobis videtur prohibitioni, (de qua postea adhuc plura,)
cessionem in potentiorum feodi non debere. Sed haec est in celi de-
bitoris commodum introducta, ne per rasem cessionem conditio eius
fiat deterior, id quod vero in hoc casu in eotum cessaat, ut potius eius
conditio adhuc melior reddatur, quia maior cessionarius vasallus quo-
que maiorem securitatem atque protectionem praestare valeret; ex hac
itaque ratione cessioni nil obstatet, nisi alias esset prohibita.

c) II. F. 36:

d) II. F. 52.

§. 14.

An nobilitas cedi possit?

Distinguendum hic est inter nobilitatem personalem atque realem. Potest enim nobilitatem quis consequi vel per rem, sive acquisitionem talis fundi, cum qua nobilitas realis connexa est, vel absque tali fundo et ex nuda concessione Imperatoris. In hoc casu applicanda erunt, quae paullo antea de beneficiis atque privilegiis ex speciali concessione imperantibus acquisitis monita sunt. In hac enim significacione nobilitas recte annumeratur iuribus personalibus, ideoque ex natura sua iam cessioni non potest esse obnoxia. Sed obstat huic videretur sententiae, quod nobilitas quoque ad descendentes transferatur, id quod tamen de iuribus personalibus non potest affirmari. Facilis vero haec objecio erit remouenda, simulac perpendimus, illam translationem nobilitatis ad descendentes, minime ex iure successionis, sed vnic ex speciali concessione primi conferentis seu Imperatoris oriri, a quo illud priuilegium una cum primo acquirente ad eius descendentes extensum est. In illo vero casu, nempe intuitu nobilitatis realis, aliter res se habet; hic enim ius nobilitatis non ut personale, sed potius ut reale beneficium debet considerari a) quia non personae, sed rei, sive fundo nobili inhaeret. Quem itaque casum non ita, ut priorem, decidi posse, in aprico est, quia regulae de personalitate ad hunc minime quadrant. Cum enim nobilitas propter rem realis est, et fundo inhaeret, sequitur, eam una cum fundo quoque ad quemlibet possessorem posse transferri, ideoque etiam, simulac fundum legitime cessum est, nobilitatem, cuius ei inhaerens, ad cessionarium transfire.

a) Reprobanda nonnullis haec sententia visa est, quod quis per rem possit nobilitatem acquirere, cum proprie nobilitas sit praecium virtutis atque meritorum; et ex hac ratione non rei, sed personae debet inhaerere; in primis ad L. 44, ff. de Aed. edit. provocant, ubi: magis convenienter esse res hominibus, quam homines rebus accedere. Sed confundendo et viis omnino et in nostra Megalopoli introducta, et per transactionem nouissimam confirmata satis probant, nobilitatem reali quoque per rem sive fundum nobilem posse acquiri.

§. 15.

§. 15.

Num ius praelationis possit in extraneum cedi, et an cessata actione principali, simul in cessionarium transeat?

Duo hic occurunt quæstiones; prima, vtrum ius praelationis in genere in extraneum cedi possit? et secunda, vtrum, cessa actione principali, simul in cessionarium transeat ius praelationis? Ex responsione ad primam quæstionem postea secunda mox erit determinanda. Reipiciendum modo erit, num ius praelationis sit ius personale, an rei cohaerat? Plurimi id esse personale affirmant, licet alii rursus illud hypothecæ cohaerere contendunt. De hypothecæ tacitæ priuilegio recte quidem potest obtineri, id esse ius reale, et cum re principali esse connexum, vti in §. 24. amplius ostendam; altero vero de iure praelationis erit fentiendum. Valde probabilis quidem videtur opinio de *coccei in iure controv. L. 18. T. 4. Qu. 21.* cuius verba haec sunt: *Sed et licet personæ cohaerent, cur non ut alia personalia cedi possit utiliter, et ut vissusfructus ratione effectum, ut valeat, donec tenuis vivat; in primis si ut procurator agat et in causa onerosa.* Sed re accuratius perpenfa, contraria tamen magis placebit tentativa. Nam tum priuilegium pupilli, intuitu cuius in bonis tutoris omnibus aliis creditoribus præfertur, tum illud vxoris, vt ratione dotis omnibus creditoribus mariti præcedat, vt priuilegia mere personalia sunt consideranda; distincta itaque atque separata sunt ab causa siue actione ipsa; id quod ipsis legibus confirmatur. a) Si vero ius praelationis non rei, sed personæ tantum cohaeret, ideoque priuilegium mere personale est, sequitur, id cedi quoque plane non posse, secundum regulas §. 8. allegatas. Qeam clarissime præterea pro me loquitur §. 29. I. de Action. cuius verba allegare necesse duco: *Praeferi autem aliis creditoribus in hypothecis tunc censuimus, cum ipsa mulier de dote sua experiatur, cuius solitus prouidentia hoc induxit.* Optime haec Lex cum illis infra n. a.) iam adductis conuenit. Accedit, quod illud priuilegium, ad heredes quoque non transeat, sed cum persona, e. gr. vxoris expiret. b)

Quibus suppositis, facilis nunc erit illa determinanda quæstio: num ius praelationis, cessa re principali, e. gr. dote, simul in cessionarium

narium transeat? id quod nullo modo fieri posse, quilibet perspiciet. Nam cum hocce priuilegium est mere personale, ergo cedi omnino non potest, et cum persona, cui ex legis beneficio competit, exspirat; sequitur, licet re principaliter sue dote, siue actione pupilli contra tutorem tutelam male gerentem, cessa, priuilegium praelationis tamen una cum ea ad cessionarium non transferri.

a) L. 42. ff. de administr. et peric. tutor. verbis: *in rem suam iudicatur procurator datus privilegum pupilli non habebit, quod nec heredi pupilli, datur, non enim causae, sed personae succurritur, quae meruit praecepsum favorem.* Conf. quoque L. un. C. de priv. dor.

Contra L. L itaque certare videtur, quod BOEHMER in Comp. Dig. Tit. *Qui portores in pignore:* §. 2., ius praelationis pignori esse annexum, affirmat.

b) L. 19. §. fin. ff. de rebus aut. ind. poss. et Leges cit. 42. ff. de admin. tutor. et L. un. C. de priv. doris. Non obstat, quod BRUNNEMANN L. c. adduxit, ius praelationis nempe transire ad libertos per nov. XCI. in Praef. Hic quidem liberis datur praelatio ob dorem matris, sed non ex iure successionali, sed tantum ex speciali Legislatoris concessione, ut ex eis NOVELLA eiusque verbis appetat sequentibus: *Non enim alios dedimus dulium et damus hoc privilegum, aut heredibus, aut creditoribus, sed solis filiis.*

§. 16.

De origine Legis Anastasianae.
Haec de iuribus, quae ob suam personalitatem in alterum cedi nequeunt. Jam supra monui, necessarium esse cessionis requisitum, ut ea semper absque laesione atque deterioratione debitoris cessi exerceatur, et huc quoque spectat famosissima illa L. 22. C. Mand. vel contra, cui ab autore suo ANASTASIO Imperatore, nomen est legis Anastasianae. Quam saepissime enim accidit, ut homines fraudulentem, et (ut verbis Anastasi utr. ipsissimis), alienis rebus inhiantes ac fortunis, actiones alii competentes in semei exponi studeant, et postea hi alienarum litium redemptores, iure nacti abutentes, debitores celsos nequissimis afficerent vexationibus. Quam nunc fraudem abolendam curauit ANASTASIUS Imperator, et hunc in finem praelaudatam promulgavit constitutionem, in qua sanxit, emtorem nominis

nominis a debitore cesso, nil magis posse exigere nisi eam quantitatem, quam ipse cessionarius soluit. Praebuit postea ea lex, licet saluberrima, ansam ad multos inter DD. dissensum tam de illius usu hodierno, quem THOMASIVS in *diff. de Aequitate cerebrina et exiguo usu pratico legis Anastasianae*, fere plane tollere studet, quem vero LEYSER *Spec. 203. Med. I.* refutat, quam respectu quæstionis: an lex Anastasiana solummodo ad nomina incerta atque dubia sit restringenda? id quod alii contendunt, prouocantes ad legis verba: *cum certum sit, pro indubitatis obligationibus eos magis, quibus antea suscepcebant, iura sua vindicare, quam ad alios ea transferre velle.* Ex hisce colligunt, sermonem solummodo esse de dubiis obligationibus, cum Imperator, *neminem*, ait, *indubitatas obligationes esse cefurum.* Contrariam vero sententiam defendit *de COCCETI in Iur. Controv. L. 18. T. 4 qu. 24.* qui praeterea adhuc allegat, praxin quoque intima huius constitutionis non obseruare differentiam inter certas atque dubias obligationes.

§. 17.

De casibus ab hac lege Anastasiana exceptis.

Minime vero obtineri potest, legem Anastasianam indistincte, et omnibus in casibus locum inuenire; contra expressa enim legis verba, qui id vellet, certaret, cum iam ipse Imperator in hac constitutione quasdam allegat exceptiones; quo referuntur cesso, quae fit pro conseruatione et tutione rei a se possessae, siue per modum verae, non vero fictae vel simulatae donationis; dationis in solutum, aut divisionis inter coheredes seu collegatarios ^{a).} Sed alia quæstio est, utrum id solummodo de limitationibus in lege expresse enarratis valeat, an etiam ad alios casus sit extendendum. Prius affirmat LEYSER in *Spec. 203. Med. 2.* sed quoque non defunt, qui posteriorem fovent sententiam ^{b).} Verum enim vero, si totam legis Anastas. materiam essem pertractaturus, nimis a scopo aberrarem, cum ea tam amplam præbet campum, tamque late patet; meo etiam proposito minus quadraret; quamobrem prolixius eam scire cupidos ad BRVNNEMANN. *Tr. de Cess. Act.* atque I. I. SCHÖPFERI dissertationem de *Cessatione L. Anastas.* remitto, qui poste-

rior ex professo de ea tractauit. Nimis vero intricata mili videtur quaestio: cui nempe in Cessione pro minori pretio facta acquiratur residuum? Paucis itaque eam adhuc in seq. §. diuidicare licebit.

a) L. 22, C. mandati.

b) Conf. BRUNNEMANN c. I. C. i, vbi diversi enumerantur causas, in quibus hanc legem locum non inventare contendit.

§. 18.

*Cui acquiratur residuum, in cessione pro minori
pretio facta?*

Lege Anastasi sancitum esse, iam scimus, neminem ex nomine cesso plus a debitore exigere posse, quam ipse soluit. Si vero talis casus adest, cum quis minori pretio aliud nomen acquisiuit, cum nam tunc acquiratur residuum? Et hic valde dissentunt inter se DD, quorum alii id cedenti, alii debitori cesso, a) alii vero fisco adscribunt. Priori id restare minus conueniens mihi videtur, simulac ad eam modo rationem respicimus, quod exinde debitoris conditio omnino reddatur deterior; pluribus enim tunc obligaretur creditoribus, nempe cessionario et pristino suo creditori, id quod ad plures contra eum actiones occasionem praebet. Iam supra §. 6. ostendi, creditorem, inuito debitore, ius suum pro diuisio cedere non posse, id quod vero hic accideret. Iuste reprobanda itaque mihi videtur illa opinio, et quae adhuc praeterea contra ipsa legis verba certat b). Non maiorem, ut ego quidem arbitror, attentionem eorum meretur sententia, qui fisco residuum attribuunt; c) eademi enim argumenta, quae, respectu deterioris conditionis debitoris cessi, de creditore cedente enarrata sunt, quoque ad fiscum plenarie quadrant. Rationes vero pro debitore cesso satis validae sunt, ut, illis accedere, me commouere valeant. Indubitatum enim est, constitutionem Anastasi, in primis in debitoris commodum eiusque utilitatem esse introductam. d) Apparet hoc etiam satis clare ex constitutione ipsa; quaenam vero debitoris utilitas esset, si nihilominus totum debitum exsolueret debet, et, quod maximum est, adeo ad diuersos, sive sit fiscus, sive cedens,

a) Conf.

- a) Conf. HELFELDT in Dig. Tit. de Hered, vel act. vend. §. 1024. BRUNNEMANN de cest. act. C. i. n. 87. SCHOEPFER in Synops. Iur. priv. Rom. et forens. Lib. XVIII. T. 4. §. 23.
- b) Satis clare in L. 23. §. 1. in fin. C. mandari, invenimus, non solum cessionario esse interdictum, residuum capere, sed etiam ratione cedentis illud esse inutile; legis verba haec sunt: omne quod superfluum est — inutile esse ex utraque parte censemus, et neque ei, qui cessit actiones, neque ei, qui eas suscipere curavit, aliquid lucri vel fieri, vel remanere, vel aliquam contra debitorem vel res ad eum pertinentes, esse utriusque eorum actionem.
- c) MEVIVS P. III. Dec. I. quidem residuum fisco adscribere vult, ideo, quia nulla adesset ratio, cur debitor id acquireret, sed argumenta a me adducta sat inculenter pro debitoro certant.
- d) Addatur §. ult. L. cit. 23. vbi: *Et iustum quidem fuerat, hoc remedium debitoribus ab Anastasianis temporibus impetrari.*

Et in fine §. 2. generalia adhibentur verba; quod nempe contra debitorem, qui summam comprobatae solvisset, nulla oriaratur molestia.

Quae de praxi recentiori a cel. PRAESIDE in programmata pentecostali nuper edito super quaestionem: *quomodo circa commercia pecuniarum nominumque tempora, inque iis principia iuris tam theoretica quam practica, se mutarint, deducta sunt, eo magis praeterco, quo certius ex adductis constat legibus, mihi de theoria, non vero de praxi, saepe tyrannide, sermonem esse.*

§. 19.

De Iuribus, quae Cessionarius facta cessione nanciscatur.

Nunc ordo, quem in exhibenda hacce dissertatione elegi, me ad iura dicit, quae cessionarius ex facta cessione nanciscitur. Et hic bene notandum, (de quo iam supra §. 5. nonnihil dictum est), quod cessionarius facta cessione in locum creditoris cedentis intret, eiusque ex iuris interpretatione personam repreäsentet. Quibus potis, facilime videbimus, quam magnæ ex illis possint intuitu iurium, quae cessionario acquiruntur, elici determinationes. Primo enim propono exinde alueo sequitur, ad cessionarium, si scilicet absque limitationibus facta est cessio, omnia iura, quibus antea est cedens gavisus,

quatenus nempe cessibilia sunt, transmitti; et deinde id intricatam illam decidit quaestione, num cessionarius in cessis iuribus sive actionibus, suis quoque uti possit privilegiis? Non alia, nisi negativa sententia mihi hie erit ferenda; nam si cessionarius tantum cedens personam representat, inque eius vestigia intrat, ad ex illius tantum, non vero ex sua ipsis persona agit; sequitur, eum etiam illius foliumodo, minime vero propriis frui privilegiis. Porro cessionarius sit procurator in rem suam atque dominium rei cessae, quo cedens est gaufus, ad illum transfert^{a)}, itaque de ea re pro sua voluntate disponere potest, quod nempe est dominii effectus; debitum potest remittere, compensare^{b)}, debitori cesso iuramentum deferre, id quod vterius per L. 17. §. 3. f. ff. de Iureiur, probatur. Necessitate igitur non est, vt iuramentum a cedente deferatur, sed quoque a cessionario delatum validum est. Ex ante positis principiis porro colligitur, vt cessionarius rem cessam possit donare, vendere, iterum aliud cedere, seu quouis alio modo alienare. Sed cessionarius tantum ex persona cedens, non vero ex sua ipsis agit. Si itaque facultas disponendi de re cessa cedenti fuit restricta, ea quoque ratione cessionari debet refringi; plus enim iuris ille in hunc transferre non potuit, quam quo ipse grauisus est. Ergo quoque cessionarius respectu rei cessae, cedentis iuribus potest tantum frui, non vero propriis privilegiis. Si quis itaque ius ipsi competens in minorem, sive ecclesiastici, sive fiscum, sive alium, singulari beneficio gaudentem cedit, hocce priuilegium respectu iuris cessi non potest applicari. ^{c)}

a) Alii quidem aliquod adhuc dominium apud cedentem remanere putant; sed, mea opinione, illud nullius est momenti, cum negati non potest, illud proprium ad cessionarium transire. Iam §. 7. nonnulla de eo montuimus.

b) L. 18. ff. de Compens.

c) Quatenus talis cesso prohibitioni, ne in potentiam fiat, contraria sit, de eo postea sum pluribus tractaturus.

§. 20.

*Debitor cessus cessionario omnes opponere potest
exceptiones, quae cedenti obstabant.*

Ex fundamento in §. anteced. adducto porro facile perspicitur, debitorem cessum cessionario omnes opponere posse exceptiones, quae cedenti obstabant ^{a)}, cuius nempe ille personam representat ^{b)}. Notatu digna hic est intricata illa divisio in exceptiones reales, sive causae cohaerentes, sive, quod idem est, exceptiones in rem, et in personales, quae tantummodo cedentis personam respiciunt. Id quod supra de exceptionibus cessionario obstantibus dictum est, modo de prioribus valet, minime vero de posterioribus, nempe personalibus; nemquam enim exceptiones personae euidam cohaerentes ad alios possunt transferri, sicut *ICtus PAVLVS in L. 7. pr. ff. de except. et praescript. expresse: Exceptiones, ait, quae personae cuiusque cohaerent, non transfeunt ad alios.* Cauendum itaque erit, ne per allegatam *L. 143. ff. de R. I.* fallatur, quae hic generaliter loquitur; minus vero difficile erit, hasce *LL. conciliare*, simulac *L. 133. ff. de R. I.* restrictiue interpretamur, et tantum ad exceptiones reales restringimus. Porro hic bene distinguendum est inter exceptiones, post iam factam atque denuntiatam cessionem contra cedentem superuenientes, et inter eas, quae iammihi ante factam cessionem contra eum competebant. De prioribus iniulfum foret, si quis, eas adhuc cessionario posse obici, contenderebat. Per cessionem enim legitime factam, atque debitori cesso denuntiam, nexus inter hunc et cedentem omnino soluitur, cum ei neque debitum cessum soluere, neque de eo transfigere, neque ullo modo pacisci, sed res ei nunc est cum cessionario. Alter vero res sepe habet intuitu exceptionum, quae iam ante factam cessionem aderant, atque cedenti obstabant. Bene enim hic applicanda erit iuris regula, neminem plus iuris in alterum posse transferre, quam quo ipse gauisus est; nunc vero, si per exceptiones debitum aut pro parte fieret minutum, aut adeo in totum solutum, et per cessionem omnes illae amoverentur exceptiones, ut debitum totum, saluumque in cessionarium transferretur, directe contra hancce regulam certaret. Accedit, quod exinde debitoris con-

ditio valde fieret deterior, id quod tamen, ut absit, necesse requiritur. Legitime itaque huic salvae manent exceptions solutionis, remissio-
nis, rei iudicatae atque compensationis ^{c)}, et q. s. r.

a) Satis clare de eo loquuntur L. 177. et L. 143. de R. I. cuius ultimae
haec verba sunt: Quod ipsi, qui contraxerunt, obstat, et successoribus
corum obstat.

b) Quo praeterea venit, ut debitor cessus cessionarium ex persona ceden-
tis possit convenire, ut ipsi ea praestet, ad quam praestanda cedens
obligabatur. Conf. LEYSER sp. 201. m. 7.

c) BRUNNEMANN de Cess. act. C. VI. n. 2. et seqq.

§. 21.

*Num cessionarius a debitore cesso usuras usurarum
petere possit?*

Quaeritur, num cessionarius a debitore cesso possit usuras
usurarum petere? Ponamus: Titius cedit Caio nomen 500 Thalero-
rum cum restantibus usuris 50 Thalerorum, id quod debitum ei a
Mevio debetur; nunc quaestio est, num Caius post quandam tem-
poris lapsum etiam de usuris possit usuras querere? De hoc casu
diueriae adfunt DD. sententiae, quorum alii affirmatiuam, alii vero
negatiuam fouent ^{a).} Tantum vero abest, ut ego priorem appro-
bem, ut potius posteriori in totum adsentiar, cuius veritatem ra-
tiones allegandae iam satis erunt probatura. Primo enim cedens et
cessionarius ut una debent persona considerari, cum hic illum re-
praesentat (conf. §. 5.), unum idemque ergo quoque manet debitum,
sive cedenti debeatur, sive cessionario. Deinde iam exploratum
nobis est, cessionarium succedere in iura cedentis, et maiori, quam
ipse, iure gaudere non posse; cedenti vero usurae fortis tantum ut
usurae debebantur, non vero ut fors, ergo quoque cessionarius eas
in fortis mutare non valet, sed omnino anatocismum committeret.
Denique, si valide cessionarius petere posset usurarum usuras, per
factam cessionem, conditio debitoris cessi valde grauior fieret atque
deterior, cum ad maiorem cogereret obligationem, quam cedenti
prae-

praestare debuisset, quod vero dictis in §. 6. contrariaretur, iuxta quae cessio, per quam debitor cessus deterioris fieret conditionis, invalida est. Satis, vt ego quidem arbitror, haec adducta sunt fundamenta, ad demonstrandam iniustitiam usurarum ab usuris, in casu cessionis tam fortium quam usurarum.

a) Conf. LAVTERBACH in Comp. Dig. Tit. de Hered. vel act. vend.

§. 22.

*Quaenam iura, cessa actione principali, simul in
cessionarium transeant?*

Iam ex anterioribus scimus, quaenam iura in genere possint in alterum cedi, nec ne, ex iisque cognouiimus, quod cesso sit species alienationis, hinc omnia iura possint per eam in alios transferri, nisi vel personalitas iuris obstat, vel intuitu aliquius rei cesso specialibus LL. sit prohibita. Nunc ad quaestionis determinationem, quaenam iura nempe, cessa actione principali, vna cum ea in cessionarium transferantur. Et hic iterum illa notanda est iuris regula: *quod cessa ipsa re vel actione, cessa etiam videantur iura actioni vel rei cohaerentia* ^{a)}. Per diueras LL. haecce confirmatur regula. Huc primo spectat L. 34. ff. de legat. et fidic. 3. Hunc ibi SCAEVOLA casum priorem enarrat: Titio decem legantur aurei, quos Gaii Seii heredes defuncto debebant, ita, vt illi aduersus hos actionem mandet; quaeritur: vtrum haec actio mandata solummodo ad fortem decem aureorum, an quoque ad usuras ex sorte ortas sit extrendenda, et haec etiam legatario acquirantur? et omnino affirmativa adest responsio, quod non sors solum, sed vniuersa etiam huius debiti obligatio, ergo quoque usuras legatae videantur. Idem sanctum inuenimus in L. 14. §. 1. ff. communi divid. atque L. 1. C. de donat. sicut hoc etiam ex eo potest colligi, quod cessionarius representet personam cedentis, inque eius vestigia intret; ergo illis quoque debet iuribus frui, quae cedenti competebant, quatenus nempe cessioni sunt obnoxia ^{b)}. Bene tamen per voluntatem contra-

hen-

uentum restringi potest, ne per cessionem omnia iura obligationi principali cohaerentia ad cessionarium transeant, et hoc spectant verba
L. 23 ff. de hered. vend. nisi aliud actum est.

- a) Conf. BRUNNEMANN de Cess. act. C. IV. n. 73, et LL. in §. 9, allegatae.
 b) Vid. §. 18.

§. 23.

Beneficia actionibus cessis annexa simul transire videntur.

Ad iura, quae, cessa actione principali, pro cessis quoque habentur, inter alia pertinent beneficia, quae actionibus cessis annexa sunt; quorum unum est restitutio in integrum. Superfluum est, ample hic repetere, quod iam supra pluribus adduxi. Restitutionem in integrum esse beneficium, partim personale, partim reale, prolixius iam est demonstratum; cum vero leges cessionem beneficiorum, quae rei annexa sunt, permittunt ^{a)}; non est, cur dubitemus, restitutio nem in integrum quoque, cessa actione principali, simul transferri; sed absque eius cessione illa quoque cedi minime potest. Ponamus itaque: Titius minor a Mevio domum vendidit, ex qua vindictio damnum patitur, conceditur itaque illi actio contra Mevium, ut hic impetrata ab eo restitutio in integrum, domum retradat. Nunc Titius hancce contra Mevium actionem Caio cedit, qua vero hic uti non potest, nisi simul R. I. I. ipsi cessa sit.

- a) Conf. §. 9.

§. 24.

Ius hypothecae et retentionis simul quoque cessum videtur.

Si quis creditor a debitore suo in suam securitatem, hypothecam aut pignus accepit, et debitam quantitatatem tertio cedit, simul in cessionarium illud ius hypothecae sive pignoris recte transfertur, vii

vti accessorium principali obligationis. Nullum de eo, mea quidem opinione, dubium adesse potest, cum L. 6. ff. de Hered. vel act. vend. satis clare loquitur, cuius verba allegare conueniens duco: *Emtori nominis, etiam pignoris persecutio praestari debet: eius quoque, quod postea vendor accepit; nam beneficium vendoris prodest emtori.* Ex hac lege citata nunc satis clare perspicitur, ad cessionarium simul cum actione principali, ius hypothecae et pignoris transferri, et non illius solum pignoris, quod ante factam cessionem cedens iam nactus est, sed etiam eius, quod hic postea in securitatem crediti cessit accepit, uti clara legis verba praecipiunt, licet hoc a nonnullis negetur ^{a)}. Idem recte quoque de hypotheca, quae vxori in bonis mariti, ratione dotis competit, affirmatur. Non enim ius tacite et legalis hypothecae, uti ius personale, sed potius reale sive doti connexum debet considerari. ^{b)} Talia iura itaque, quae rei principali annexa sunt, simul cum ea in cessionarium transeunt. Si ergo vxor doteum suum, quae a marito sibi debetur, in extraneum transfert, hic quoque recte ius hypothecae in bonis mariti cancellatur.

Eadem sententia ferenda mihi erit de retentione, quae itidem rei debitae annexa est. Prono illud iam ex antedictis sequitur aliud; si enim pignora, quae cedens respectu debiti cessit habuit, una cum eo in cessionarium transeunt, ius quoque transferri debet, nempe quod cessionarius pignora in securitatem debiti data tam diu retineat, donec ei a debito satisfactum sit. Confirmat hanc meam opinionem L. 14. S. 1. ff. comm. divid. quae nempe expresse et speciatim de cessione retentionis loquitur. Ex illis, quae antea de hypotheca, ratione dotis ab uxore cessa ad cessionarium transeunte, monita sunt, iste quoque colligitur, cessionarium aequa bene in bonis mariti posse ius retentionis exercere. Est enim ius retentionis, ut etiam hypothecae, reale, ergo doti cohaeret, minime vero personae uxoris. Nullum de veritate huius asserti, vt ego quidem arbitror, dubium oriri potest, cum retentione iuste ceditur ^{c)} et, teste BRUNNEMANN c. l. C. IV. n. 74. in genere illud ius in singularem successorem recte transferetur. Ex hisce fluit, retentionem minime esse ius personale, sed potius reale; si prius esset, de ea non possent praedicari, quae tamen in ipsa locum omnino inueniunt.

- a) BRVNNEMANN c. I. C. IV. n. 76. qui testatur, *Lenzium* in tri
de *Cess. actionum*, translationem hypothecae et pignoris restringere
ad ea, quae iam ante factam cessionem cedens habuit, de postea ac-
quisitis vero id plane negare.
b) Conf. de coccii *Ius controv.* L. 18. Tit. 4. Q. 21. Aliud est in
iure praelationis, respectu cuius vaor alitis creditoribus praefertur.
c) CARPZOW. P. 2. C. 25. Dec. 18.

§. 25.

De cessione cambii.

Quae antea de cessione iuri sui actionis monita sunt, recte etiam, mutatis tamen mutandis, ad cessionem cambiorum possunt applicari. Plerumque enim litterarum cambialium indossamentum nil aliud est, nisi vera cessio, licet interdum simplex mandatum in eo con-
tinetur. a) Nil itaque ad rem, quod in indossamento cambii verbum: *cessionis*, omissum sit, cum re vera tamen cessio adeat. Recte itaque iura de cessione actionum constituta ad hanc quoque pertinent, in illis nempe casibus, quando vera cessio, non vero tantum simplex man-
datum adeat, eaque indoli atque naturae cambii non repugnant. Sicut ergo in cessione actionum cessionarius non suis, sed cedentis vtitur iuribus (§. 19.) ita quoque indossatarius non suis, sed indossantis gau-
det iuribus. b) Porro cessionarius, contra debitorem cessum agens, se ad causam debet legitimare, et non sufficit sola chirographi exhibitus, sed re vera factae cessionis probatio. c) Idem obtinet in indossamen-
tis, vbi tertius, qui ex cambio agit, probare debet, illud in semet esse indossatum, minime vero sola sufficit cambii possessio. d) Deinde cessio potest, inuito immo inscio debitore, fieri (§. 5.), id quod etiam in indossamento locum inuenit. Denique cessionarius vñuras vñura-
rum petere nequit (§. 21.), et hoc quoque ratione indossatarii ini-
stum est e). et q. f. r.

a) Conf. de hac materia A. LEYSERI diff. de iure cambiali.

b) FRANCK *Instit. iur. camb.* Lib. 1. Seit. 2. T. 5. §. 33.

c) MEVII *Decis.* P. 8. D 236.

d) LEYSERI diff. cit.

e) IDEM c. I.

§. 26.

§. 26.

Nonnulla tamen ad indossamentum non possunt applicari.

In §. antecedente iamiam monuimus, ea iura, quae indoli atque naturae cambiorum sunt contraria, hic cessare. Quantum vero ad naturam cambiorum pertinet, notandum est, eam non adeo ex principiis iuris Romani, sed potius ex institutis recentiorum debere gentium deriuari. Est vero genuina cambiorum ratio, ut commercia promoveantur atque adiuventur; omnia itaque, quae illorum promotionem retardant atque impeditunt, naturae quoque cambiorum contrariantur. Huc pertinet primo prohibitio, ne cessio fiat in potentiores (§. 27. 28.); impedire vero, atque restringueret cambiorum commercium haec prohibitio, ergo de indossamentis non valet, sed iuste sunt in potentiores ^{a)}. Deinde cedens verum quidem, sed non bonum nomen praestare tenetur (§. 3); nimis vero id commerciorum nostrum esset promotioni, cum exinde cambiorum fides valde vilis redideretur; omnino itaque etiam indossans ad bonitatem debiti praestandam est obligatus ^{b)}. Porro cedens cum debitore, si hic cesionis certior nondum factus est, valide adhuc transfigit, et ab eo solutionem poscere potest (§. 7.). Altero vero res sele habet in indossamentis, vbi sola cambii indossati poslesio indossatarium contra omnes indossantis exactiones, transactiones, caeterasque machinationes secundum reddit. ^{c)} Denique quoque lex Anastasiana in indossamenti locum non habet, id quod testatur LEYSER in diss. *de iure cambiiali*; aliud vero statuit de cessione cambii extra litteras cambiales facta.

^{a)} LEYSER in cit. diss.

^{b)} TITIVS in Iure priuato L. 10. C. 5. §. 51.

^{c)} LEYSER in cit. diss.

§. 27.

Quando cessio valore destituatur?

Absolutis iamiam, quae de iuribus ex cessione peragere mens mihi fuit, nunc transeo ad vteriorem huius dissertationis partem, in qua nempe continetur quaestionis determinatio: quando cessio valore pruetetur. Et tres hic praesertim casus recensentur, I) si cessio fit in

potentiorem ^{a)}). 2) Si sit a Indaeo in Christianum, b) 3) si sit in tutorum contra pupillum, c) Quos omnes singulos in sequentibus sum adhuc magis expositurus. Sed præterea alias cessione in nonnullis casibus est specialiter prohibita. Huc spectant primo res, sive actiones litigiosæ; expresse enim haec in Legibus ab cessione eximuntur ^{d)} (§. 8.) sicuti etiam actiones poenales criminaliter intentandæ ^{e)}; in actionibus vero poenalibus ciuilibus aliter erit sentendum, vti iam supra §. 8. in fine monui, et q. f. r.

a) L. 2. C. ne liceat in potent.

b) Ord. Imp. Polit. de Anno 1577 Tit. 20. §. Es soll auch kein Christ.

c) Nov 72. C. 5. verbis: et (Tutor sive Curator) cessiones in semet ipso aut per venditionem, aut alio quolibet egerit modo, sciat, omnino infirmum esse, quod ab eo fuerit factum.

d) Lib. 2. et L. fin. C. de Litigiosis.

e) STRYCK de Turib. et Action. non cessibil. C. VI. §. 5.

§. 28.

Quinam potentior sit?

Prohibetur in legibus cessione, quae facta est in potentiorem cessionarium, secundum expressum Legis 2. C. ne liceat in potentiorem, textum, vbi: si cuiuscunque modi actiones ad potentiorum successione delatae personas, debiti credidores includura multentur. Cuius ratio prohibitionis in eo potissimum latet, ne inde cesso debitori metus incutiat, ac facultas, ius suum contra opes atque potentiam cessionarii prosequendi, admatur. Simil etiam hoc adest fundamentum, quod debitoris conditio deterior sit, si cum potentiore cessionario res sibi sit, quam cum cedentes minis potente, quia contra hunc melius ipsi sit agendum, quam contra illum. Sed magis ardua est quaestio: quis potentior dicatur, et num potentia de ordine sive grauiori officio, aut de diuitiis, aut specialibus priuilegiis sit intelligenda? Quantum ad priores casus, id omnino potest obtineri ^{a)}, cum potentia ordinis, officii, et diuitiarum ad debitorem metu afficiendum satis validis sit, quod autem ad potentiam ex priuilegiis ortam applicari nequit, cum exinde conditio debitoris minime deterioratur. Ex antecedentiibus

bus enim iamiam patet, cessionarium tantum iuribus uti cedentis, minime vero propriis pritilegiis. Quae itaque, cum contra debitorem cessum exerceri nequeant, ipsi quoque nocere non possunt. Omnino validi itaque manet cessio in fiscum, sive ecclesiam, sive aliam piam causam, quae qua tales, falso ut potentiores considerantur. b)

a) L. 3. ff. pr. de Alienat. iuribus mut. causa facta.

b) Conf. BRVNNEMAN de Cess. Art. C. 2. et LEYSER Spec. CC. Med. 6 et 7.

§. 29.

Quibus in casibus haec prohibito cesset?

Indistincte valere prohibitionem, ne in potentiores fiat cessio, haud recte potest affirmari. Licet quidem allegata L. 2. C. de litig. generaliter loquatur, aliis tamen exenti sunt causas, vbi quoque in potentiores valide ceditur. Huc primo referunt, si cessio solummodo facta est ex titulo transactionis ^{a)}, ad quam tamen prohibitionem non esse extendendam fatetur LEYSER Spec. CC. Med. 3. vii etiam Med. 4. easum adduxit, quando cessio auctoritate magistratus facta sit, ita, ut nempe hic, causa cognita, cessionem in potentiores consumet. Num vero hic bona fides aliquid efficiat, ut alii contendunt, et euenire potest, si quis non malitiose atque dolo, sed bona fide, et absque intentione aduersarii conditionem reddendi deteriorem, cessit, multis certe dubiis laborat. Ratio enim prohibitionis nulla alia est, quam, ne debitor cessus aut plene opprimatur, aut ipsi, ius suum contra potentiores prosequi, difficultus reddatur, quae tamen ratio, non solum ad cessiones mala fide, sed etiam ad bona fide factas quadrat. Licet enim cedens in bona fide versetur, debitor cessus tamen potentiore oneratur aduersario. Accedit praeterea, quod cit. L. 2. C. de litig. generali ex cessionem in potentiores prohibeat, et neque bona, neque malae fidei faciat mentionem.

a) In LL. quidem etiam cessio in potentiores per transactionem prohibita est, secundum L. 2. et 3. C. ne fiscus vel respubl. procurat, sed tamen teste LEYSERO Spec. CC. Med. 2. in praxi, ex DD. opinione contrarius seruatur usus. An vero in genere de cessionibus per transactionem id

¶

affirmari possit, dubito; sed, mea quidem opinione, hic solummodo trans-
actiones iudiciliter, autoritate judicis factae et sunt intelligendae; et
tunc ratio validitatis non adeo in titulo transactionis, quam in auto-
ritate ponenda est iudiciale.

§. 30.

*Valore cessio orbata est, quae fit a Iudeo in
Christianum.*

Porro in *Ord. Polit. Imp.* de anno 1577. Tit. 20. §. Es soll
auch kein Christ, expresse interdicitur, ne quis Iudeus nomen, sub
amissione eius, Christiano cedat, quod ipsi a Christiano debetur. Ra-
tionem huius prohibitionis *DE COCCEI in Iure Controv. Tit de*
Hered. vel aff. vendita Qu. XIII. in eo quaerit, quod per talen
cessionem a Iudeo in Christianum factam conditio debitoris cessi de-
terior reddatur, et quidem exinde, quia nouus creditor Christianus,
Iudeo cedente, potentior esset considerandus, ac debitori cesso ius
suuim contra cessionarium, quam contra cedentem persequi, difficultius
forer. Sed ego potius arbitror, magis latitare rationem in vfu-
raria prauitate, quae in Iudeorum negotiis semper est praesumenda, a)
Magis vero intricata erit quaestio: num illa prohibicio adhuc hodie
valeat? Id quod affirmo, obtendoque, quod omnino adhuc valeat in illis
Germaniae terris, vbi non speciales LL. in contrarium adfunt. Illud
certum est, multis in locis eam plane esse abrogatam, id quod etiam
apparet ex speciali *Rescripto Sax. Electorali* de anno 1715.
per quod nempe omnes cessiones inter Iudeos et Christianos proban-
tur. Multi praeterea in *beati DE C R A M E R Wetzlarische Nebenfun- den P. 3. Med. 4.* enumerantur casus, vbi in summis Imperii iudicis
semper pro Iudeis decisum est. Haud inconueniens praeterea mihi
videtur opinio, per receptionem quoque cessare prohibitionem; puta,
quod Iudeus in territorio quodam, vbi adest ea prohibitio, receptus,
per hanc receptionem ab illa liberetur b). Facultas enim commercio-
rum, quam per receptionem in regione quadam nanciscitur, adeo
debilitaretur, vt vix commode exerceri posset, nisi simul facultas, libere
et in Christianos cedendi, tribueretur.

a) Ad

- a) Ad id credendum adhuc magis continuoer per Responsum, quod in beati DE CRAMER Weizarselen Nebenstunden loc. cit. §. 8. allegatum invenimus; cuius verba haec sunt: *Vnd obwohl die Usuraria prauitas, welche die Juden in denen Cessonibus und Handlungen mit Christen zu verüben pflegen, vermurhlich zu obgedachter Reichs-Satzung und Prohibition Veranlassung gegeben, dennoch daraus nicht folgen will, als wo dergleichen wucherliche Bosheit nicht erscheinet, die Cessio zugelassen sey, sondern genug ist, daß der Legistator eine unter solcher Cessio verborgene usurariam prauitatem vermuthet, auch insgemein nicht zugeben wollen, daß ein Christ den andern, eines heiligen Judens und dessen Schuld halber mit rechtlicher Klag incommodiren, und durch Einreitung dessen Schuld-Forderung gleichsam denselben Knecht seyn sollte.*
- b) F. E. PUFFENDORFF in Observ. Jur. Rom. Tom. II. Obs. 158. §. 11.

§. 31.

Et quae sit in tutorem contra pupillum.

Restat adhuc interdictio, ne cesso fiat in tutorem sive curatorem contra pupillum, sive eum, qui sub ipsius cura est. Satis enim ex LL. constat, eum, qui in aliquo cum pupillo nexu, aut ut creditor, aut ut debitor est, abs tutela fulciri abstinet, quia nempe id facile posit ansam ad defraudationes praebere. Simili ratione etiam intuitu cessionum, quae durante tutela in tutorem contra pupillum sunt, adegit prohibition in Nou. 72. C. 5. et Auth. Minoris C. qui dari tutores. Ibi sanctum inuenimus, cunctas tales cessiones, licet alias iusta et bona fide factas, vanas esse ac inutiles, atque tutores posse neque durante tutela, neque hac finita, illis vti, sive sint ex causa onerosa factae, sive lucrativa, et quod maximum est, id nomen contra legis prohibitionem in tutorem per cessionem translatum respectu tam cedentis, quam cessionarii, plane in poenam commissiōnis in legem esse amissum, et in totum minorem lucrari; vti ex citata Authentica satis clare perspicitur.

§. 32.

§. 32.

C o n c l u s i o .

Haec sum, quae proferre mens fuit. Nil itaque superest, nisi vt me, ac vile hoc meum eruditionis specimen Tuac, L. B. benignitati commendem atque indulgentiae. Non ut scriptum Doctoris contemplaris, quoquo, sed ut discentis, qui in medio adhuc studiorum cursu versatur. Nullus itaque dubito, quin in mendis atque imperfectionibus, quae huic forsitan insunt dissertationi, benigne conniveas, atque illam non acuto critici oculo, sed viae cum ea automenti consideres. Nimis enim imbecillis sum, lubenter ipse confiteor, viresque infirmae, ut rigidae me possim subiucere censure, id quod in posterum maiori forsitan potest animo fieri.

T A N T V M .



PRAE-

PRAESTANTISSIMO
DOMINO

RESPONDENTI

GRATVLATVR

PRAESSES.

*E*xhibuisti TE quidem iam publice ante tres menses , dum spar-
tam opponentis contra dissertationem a committitione tunc no-
stro Schroedero , nunc Göttingae Musas frequentante , certamini eru-
dito expositam , maximo cum totius auditorii applausu in TE
suscepisti . Flagrans T V V S autem ad gloriam honoresque ap-
petitus , in iuene maxima cum laude semper excipendus , hoc eru-
ditionis specimine non fuit satiatus , sed in eo quoque commilito-
nem aemulari voluisti , ut aeque ac ille , elaborationis propriece com-
mentationem mihi exhibueris , meumque auxilium in recognoscenda T V A
elaboratione , et praesidium in defendenda eadem ceu dissertatione
publica efflagitaueris ; quem ardorem nobilem non solum alere , sed
etiam excitare , meum duxi . Lubenter igitur , quod a me petiisti ,

F

prae-

praesidis officium suscepit, idque in praefixo publici certaminis die protinus adimplere eo maiori mihi erit oblectamento, quo certius exinde constabit, quanta sit alumnorum nostrorum sollertia et morum probitas, et quanti exinde resultant studiorum prosectorius, abs TE et a praelaudato Du. Schroedero intra biennium adquisiti, in aliis aca-

demis, studiosorum copia magis florentibus, ob impedimenta et distractio-

nibus ibidem maiora, non ita facile obtinendi. Gratulari exinde licet nostrae Almae perantique tam de situ prope mare Balti-
cum et ad flumen Warnoum felici incundoque, quam de Proce-
rum ciuiumque urbicorum viuendi genere, cinibus nostris academi-
cis tam optimum praebente exemplum, quam mores illorum for-
mantur, hinc ad industria et morum probitatem viam sternente.

TIBI quoque, amice aestimatisime! gratulari licet de loco na-
tivitatis moribus et studiis excellente, ex quo prodierunt viri tam
vita quam fama incliti, patria acque ac extera ornantes munia
amplissima. Hac gloria fultus quoque abibis in semestri proxime
instante ad eandem, quam iam frequentat commilito TVVS ante bis
nominatus, Musarum sedem exterarum. Interim autem sis porro
exemplum diligentiae et modestiae reliquis TVIS commilitonibus,
scuti adhuc suisi, et non deerit TIBI tam Maecenatum quam
reliquorum Fautorum et Amicorum TVORVM applausus. Da-
bam Rostochii die 17. Iunii 1780.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATOVE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI
LVEDERS
S. P. D.
OPPONENS
H. BVRCHARD. I. V. C.

Honestissimum est, quod postulas, argue ideo nulla in me mora fuit, quod voluisti, faciendi. Ego TE gratiabundus ergo comitor. TIBI dissertationem TVAM eleganter doceque conceptam gratulor. Haec ac defensio publica probabunt, quod studium turidicum hanc sequiter tractaueris. — Sic labores sequentur praemia.

Sic comes TIBI jalus! Dii TE boni semper secudent! Hoc erat in votis. Vota accipias, quae sò, serena fronte, VIR PRAENOBILISSIME! Memento mei! Non ultimus inter ouantes ero, si redis ex splendente Musarum Sede Georgia Augusta ad nos ciues Raseti.

Dab. A. cto LXXX, d. XVII, Iunii,

VIR O
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO,
DOMINO RESPONDENTI
S. D. P.
I. C. KOPPE, ROSTOCHIENSIS, I. V. C.
OPPONENS.


Pro virium mearum imbecillitate, quantum valebo, partibus opponentis, quas mibi TVA erga me demandauit, quamque eo, quo par est, grato animo aestimare scio, amicitia, satisfacere studebo. Gratulor TIBI; Amicorum optime condiscipuleque quondam dilectissime, de TVO in arduo Legum studio addiscendo progressu, de quo adhuc nuperrime semel publicum dedisti testimonium, quemque iam novo monumento confirmare TIBI est animus. Ambula semper viam, quam semel elegisti, et dignissimus euades iustitiae sacerdos, familiæ patriaque TVAE honor ac decus. Sicut TIBI molia fata, vicinque terrarum vitam vires, mei viuas memor velim. Ter quererque vale. Dabam e Museo die XVII, Iunii M. D. C. C. L. X. X. X.

PRAE.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
R E S P O N D E N T I
SALVTEM!

*Quid diligentia cum praestantissimi ingenii alacritate coniuncta
unquam proferre posse, in TE adparet. Licet enim paruum tantum
temporis spatium studiis TE tradideris iuridicis: nihilominus tamen
ne momentum quidem temporis haesitasti, quin Ipse TIBI materialiam ad
conscriptendum elegeres, electam meditando exhauires, exhaustum
publice ederes, atque adiudicares ad cathedram, ut editam TVO more
fortiter defenderes. Haec omnia profecto sunt ea, quae alias inue-
nihil animus extimescit, quae vero TV cupis, quae TIBI, commu-
nibus et industriae et ingenii viribus freto, maximis sunt in deliciis.
Gratulor igitur TIBI, benignam prouidentiam tale TIBI largitam
esse ingenium praeftans, quod cedit nulli, plurima superat; sed,
quod adhuc maius est, gratulor TIBI, TE hocce ingenium felix ita
coniungere cum admirabili industria, ut nunc non solum litteratis
simorum virorum excites admirationem, sed aliquando etiam tam
exsplendescens, quam utile evasurus sis Patriae ornamentum. Vale
saueque. Dab. Rostochii die 17. Iunii 1780.*

IOH. GOTTFR. CRVMBIEGEL.
OPPONENS.



ULB Halle
004 517 601

3



f

TA → OL

nur 1+8 verknüpft

8				
7				
6				
5				
4				
3				
2				
1				
0				
Centimetres	1	2	3	4
Inches	1	2	3	4

B.I.G.

Farbkarte #13



12
5

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
IVRIBVS EX CESSIONE
TAM VALIDA,
QVAM INVALIDA,
1780, 1.

Q V A M
ANNVENTE NVMINE DIVINO OPTIMO MAXIMO,
EX
CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS IVRECONSULTORVM,
IN ALMA ROSTOCHIENSI,
P R A E S I D E
MAGNIFICO NVNC ACADEMIAE RECTORE
DOMINO
WALTER VINCENT WIESE,
I V R . D O C T . E T P R O F . P V B L . O R D I N .
N E C N O N F A C V L T , I V R I D . S E N .
P R A E C E P T O R E S V O S V M M E C O L E N D O ,
ANNO MDCCCLXXX. DIE XX. IVNII,
P V B L I C O I N A V D I T O R I O ,
HORA NONA ANTEMERIDIANA
D E F E N D E T
AVTOR ET RESPONDENS
IOACHIM HEINRICH CHRISTIAN LVEDERS,
ROSTOCHIENSIS.

R O S T O C H I I ,
T Y P I S A D L E R I A N I S .

